



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 10. in timidos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

Matth. II.  
v. 28.

& tanquam servus pessimus habitus sum, cur vos fervire piguit puditque, ut nunc similes mihi in humilitate assimilari deinde mereremini in gloria? ego meam vobis gratiam, solatium, presentiam spondeam, & invitavi: *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* cur laborare & onerari renuistis, ut ad refectioem meam mecum pertingeretis? ecce quia laborare noluitis in terris, cum ad laborem creati essetis, laborabitis in æternum, laborabitis in gemitu vero, laborabitis sub iugo & onere dæmonis, quod acerbum & importabile est. Ego veniam per flagella, morbos, pestem, mortem; ego veniam vobiscum in iudicium inque vestram condemnationem;

ego veniam ad ridendum & subsannandum in interitu vestro, cum male vobis fuerit; veniam & curabo non in vitam sed mortem, non in salutem, sed damnationem, non in solutionem, sed confusionem, desolationem, exterminium sempiternum.

Habent jam Domini & famuli, heræ & ancillæ unde se dirigant, corrigantque, & cum tempus adhuc suppetit, suam operentur salutem ac gloriam; ut fidem ac charitatem in iisdem IESUS inveniat & laudem ac beatitatem pro voto suo impertiat! Vade nunc domum tuam ò here, & sicut vis fiat tibi; vade & tu famule & opus tuum imple, ut æternum fiat tibi sicut vis; faneturque æger animus, & pigra manus tua in hac hora.

S. 7.  
Brevis ad  
utrosque  
apostro-  
phe.

## PHILIPPICA X.

In Timidos.

## DOMINICA IV.

## POST EPIPHANIAM.

*Quid timidi estis modicæ fidei* Matth. 8: v. 26.

S. I.  
Ex vari-  
is titulis  
non timē-  
dum.

Apientissimè Aristoteles pronuncia- vit I. de mundo: *hoc in mundo est Deus quod in navi gubernator, quod in curru auriga, in exercitu Imperator.* Imperator iste invictus est, nemo sub eo dubitet de victoria; auriga ille expertissimus est, nemo casum & everisionem

vereatur; gubernator ille fortunatissimus est, cui militat æquor, & conjurati veniunt ad prælia venti, nemo metuat naufragium. Cur ergo trepidatis Apostoli præsentem Iesu, qui navis vestræ gubernator, & malus, & carbasus, & remus, & stella, & patronus est? si timido nautæ Julius Cæsar inclamavit: *Cæsarem & fortunam ejus vehis, quid vereris?* veriùs occinere vobis licet: *rem*

IESUM & omnipotentiam ejus ve-  
hitis, quid timidi estis modicæ fi-  
dei? adesset solida vobis fides, ab-  
esset profectò tremulus è corde timor.  
timeant lepores, trepident arundines,  
paveant expertes fidei homines; vos  
quibus præ oculis DEUS, & charitas  
ejusdem fixa est in cordibus, timere,  
si sapitis, non potestis. Contra timidos  
agendum est hodie, eos potissimum,  
qui præpostero timore homines plus  
quàm Deus timent cum præsentissimo  
naufragij æterni periculo.

Inter lethiferas animi passiones  
timor est, qui multos intempestivum  
deturbavit in sepulchrum. integros  
exercitus immisso panico timore in  
mutua arma ruisse sacræ litteræ  
attestantur. ità Gedeon complosis  
lagenis Madianitas terrefecit *Jud. 7.*  
Jonathas Philistinorum stationem  
turbavit. *1. Reg. 14.* Josaphat  
contra Ammonitas triumphavit *2. Paral. 20.*  
multa millia hominum in nupera  
contagione carbunculos ex solo ferme  
timore contraxere, multi extra pestifera  
tempora cecidere Libitinæ in vitam  
solo metu exanimati. Scio nobilem  
aspectu felis obriguisse; scio principem  
ad præsentiam muris concidisse; Julia  
Pompeji uxor visis Pompeji mariti sui  
vestibus sanguine respersis præ timore  
expiravit maritum trucidatum suspicata,  
cum cruor ille ex cæsis hostibus in  
vestes redundârit. Cui proinde chara  
est vita, exosus sit timor, tanquam  
certissimus mortis prodromus, & morte  
ipsâ non rarò deterior. Habet verò  
inordinatus ejusmodi timor duplicem  
potissimum originem, videlicet defectum  
rectæ rationis in capite, defectum  
divinæ gratiæ in corde.

Ecquis desipere non dicet Caligulam,  
qui ad quemvis cœli mugitum obvolvebat  
caput, ad gra-

viora verò tonitrua de lectulo profiliens  
infra lecticam se recipere solebat, tanquam  
ibi tutus foret. quis insanire neget  
Artemonem philosophum, qui veritus  
cœli ruinam vix unquam domo prodire  
volebat, quoties autem prodibat, non nisi  
sub scuto ibat, nè à ruituro cœlo  
obrueretur. An non ridiculus Casfander,  
quem timor Alexandri in statua efficti  
exanimavit? An non stultus Pisander,  
qui verebatur nè animæ suæ occurreret?  
sed ò phantastæ! ò pueri! ò rationis &  
generositatis omnis pœpitis expertes  
Pepones! *quod vides accidere in pueris*  
(monet ethnicus morum Magister) *hoc nobis  
quoque majusculis pueris evenit;* & Chryso-  
stomus homil. 5. ad pop. *pueri larvas  
timent, ignem non timent, sic nos  
timemus mortem, quæ larva est contemptu  
digna, peccatum non timemus.* Ex quo  
alteram inordinati timoris causam  
arripio, *peccatum.*

Nescijt timere Adam, quamdiu  
innocens permansit, timere cœpit,  
cum prævaricatus esset. Quid Caino  
angustum fecit orbem terrarum nisi  
peccatum? Hoc Ægyptios ità exterruit,  
ut ad svavem aureæ sibilum, ad  
concinnum aviùm concentum, ad lene  
murmur aquæ, ad argutum echûs  
sonitum, quasi fulminibus isti  
deficerent. Audiamus sapientem c. 7.  
de piscatoribus Ægyptijs in hæc  
verba loquentem *Spiritus sibilans  
inter spissos arborum ramos, aviùm  
sonus svavis, aut vis aquarum  
decurrentium, aut resonans de  
altissimis montibus echo deficientes  
faciebant præ timore.* Deteriores  
Ægyptijs Israëlita fuere, quos  
exaggerata exploratorum narratio,  
quasi terra promissa devoraret  
habitatores suos, incohereturque à  
gigantibus, quibus ipsi comparati  
pro locustis essent habendi (ut  
videre est Num. 13.

Causa timoris est defectus rationis.

Senec. ep. 24.

§.4. Item defectus gratiæ.

§.2. Timor multis lethalis.

§.3.

v. 33. ita perterrefecit, ut in murmur contra Deum effusi omnino demeruerint in terram melle & lacte manantem introire, sed in deserto morti immaturæ cesserint in prædam. ò quot insolenti timore absteriti pedem retrò à via virtutis & vitæ tulerunt, & cælo æternum proscripti exulant in loco horroris & vastæ solitudinis.

Inter cetera porrò peccata, quæ metum incutiunt, defectus vivæ fidei est, ob quem redarguuntur Discipuli: *quid timidi estis modicæ fidei?* deest enim fiducia ac fides de præsentia & auxilio providentissimi Numinis, sinè cujus nutu nec capillus de capite perire, nec malus halitus afflare, nec pulvisculus inquinare, nec musca pungere, nec mala bestia ferire potest. *Ego sum*, dicebat Christus repetitis vocibus, *nolite timere*. timet leo gallum, elephas murem & grunitum suis, camelus sui ipsius umbram, timent aviculæ leonis rugitum, at nos ratione præditi, ac fide armati quid vereamur? aptissimè Bernardus in ps. 90. v. 13. *non sumus bestie, ut proslernat vacuus ille leonis infernalis rugitus. rugiat quantum vult, tantum nè fugiat ovis Christi*. Annon vecors & rationis expertus ille censendus est miles, qui tam pusillanimis est, ut solo terrore cadat? timeret ejusmodi miles imperatorem suum, cui stat & cadit, vix timeret tantopere hostem, in quem magnis animis procedere jubetur, ut vincat, *timidi enim, ut canit Euripides, nunquam statuere trophæum*. Egregium Clearchi Ducis Lacedæmoniorum fuit Apophthegma, quo, teste Valerio Maximo, militarem disciplinam insigniter continebat: *à militibus Imperator potius quam hostis metui debet*. Si verus timor Dei animis multorum inesset, omnis inde evanesceret trepidatio: *qui timet Dominum,*

*nihil trepidabit*, e contra qui Dominum non timet, omnia tuta timebit. lata est sententia in timoris Divini expertes: *terebit eos sonitus folij volantis*, & ita fugient quasi gladium Lev. 26. v. 36. ita factum esse testatur Psalter ps. 13. qui ubi de impijs dixisset: *non est timor Dei ante oculos eorum*, paulò post subjungit: *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Monet proinde D. Augustinus Conc. 2. in ps. 32. *fera sævit, Deum time, serpens insidiatur, Deum time, homo te odit, Deum time. diabolus te impugnat, Deum time, tota enim creatura sub illo est, quem jubetis timere*. O si hunc filiali timore prosequeremur, quàm terribiles dæmonibus, venerabiles hominibus, amabiles Angelis evaderemus. Verùm quia homines magis, quàm Deum veremur, hominibus & angelis non spectaculo sumus, sed despectui & cachinno.

Ex quo patet, nihil æquè timendum hominibus, quàm nè homines timeant; ab inordinato enim hominum timore certissimus Dei contemptus & omne flagitiorum genus emanat. Ut ad idololatriam Nabuchodonosor universos induceret à principibus cæpit, *ut convenirent ad dedicationem statuæ* Dan. 3. v. 3. principes congregantur ad adorandum, ait Doctor Maximus, ut per principes seducantur & gentes. Solent alioqui principes in adorando esse ultimi, & cur hinc primi sunt ad enormem stultitiam & stultam impietatem exercendam? respondet idem Hieronymus; quia timebant privari Regis gratiâ, & bonis. *Dum timent carere divitijs & potentiâ, facilius supplantantur*. Nimirum, ut Aristophanes cecinit, *timidissimum quid divitiæ; timidus pluto*. Plus satrapis peccavit Aaron, dum absque cunctatione vitulanti populo idolum & aram erexit, atque ad

S. 5.  
Nihil magis timendum, quàm nè homines timeamus.  
Benedictus Fadel. fer. 4. post Domin. 4. quadrag. Consider. 2.

Valer. Max  
l. 2. c. 2.

Eccl. 34.  
v. 16.

fol-

solennitatem posteri diei uniuersos invitavit, *Exod. 32.* quomodo tanta in Aaronem cadere potuit stultitia? quomodo tam citò mutatus ab illo? cur gladium non stringit, aut certè vehementi oratione facinus populo non diffvadet? cur ipse corpus & sanguinem pro divino honore non immolat & mori priùs eligit, quàm ad idololatriam cooperari? timor in causa fuit: *timens nè denegando occiderent eum*, ait Antoninus p. 4. tit. 14. c. 4. *Sicut Hur collegam suum spatis occiderunt, qui eos arguebat de tanta stultitia.* timuit ergo Aaron populum, quia non timuit Deum, cuius timore destitutus in enorme scelus prolapsus est. ò quod hodie in paria vel graviora adhuc degenerant scelera! quia timent.!

Cur in profundum flagitiorum devenerit Maria Magdalena, causam non putido Amori, sed timori adscribit D. Vincentius Ferrerius serm. de S. M. Magd. cum enim à nobili Juvene in crimen adducta clam fuisset, gloriatus deinde ganeo coram sodalibus de scelere est, quibus ut eadem obtingeret præda, propalandi flagitii metum incussere, & pudorem denique juvenulæ excussere, ut fieret in civitate peccatrix & frontem omnem exueret, quæ homines plus æquo verecundabatur: *venerunt ad eam dicendo: certò nisi mihi consentiatis, ego revelabo.* Ità Ferrerius, qui fortè ad hoc sentiendum inductus fuit historiam Lucretiæ, quam Tarquinij superbi filius suam traxit in libidinem hoc incussò metu, ut refert Tostatus si non consentiret, occideret eam & quendam pariter servum, poneretque in lectum ejus utrumque occisum, & diceret occidisse se ambos, quia invenerat eos pariter commiseri. Sic territa Lucretia timore infamiae futuræ commisit adulterium. hæc Tostatus, ò si & Lucretia & Mag-

dalena Susannæ habuissent Spiritus, & divino plenæ timore humanum procul amandassent. Sed quid ego feminas loquor? Quid Adamo timorem justis Numinis excussit, nisi præposterus hominis unius timor Tostato credamus qv. 10. in c. 9. Genes. *Adam consensit uxori, nè ejus delicias contristaret.* timuit offendere conjugem, & non timuit offendere Deum, timore idcirco infano punitus, ut ad ficum folia confugerit quasi tutus inter illa lateret. Si Adam tot naturæ & gratiæ prærogativis exornatus, timore nihilominus corripit potuit ac corrumpi, quàm periculosa sit timoris tentatio, facile conjiciemus. orat proinde David Ps. 63. v. 1. *à timore inimici eripe animam meam.* non ab inimico eripi petit, non à gladio ejus & sanguinaria manu, sed à timore: *eripe, non ut non occidar, sed nè occidentem carnaliter verear* ait Dionysius Carthus: in c. 2. Luc. Sicut enim ex communi adagio: *pejor est bello timor ipse belli; ità & pejor est letho timor ipse lethi*, timor inquam tot lethalium causa potissima peccatorum.

Inter immunda animalia DEUS posuit leporem Lev. 11. quia tam timidus est teste Plinio, ut non raro ad canum præsentiam exanimis corruat, symbolum hominis meticulosi, quem Deus nec ad aram tolerat, nec convictu ceterorum dignum judicat, idque per leporem ab aris & mensis remotum manifestè indicat. Ite timidi lepores, procul ab ara, Procul à cælo; ite cerbero in offam, aut venatori stygio in prædam.

At nunquid timuit summus Sacerdos Christus, cum cruentum in oliveto inchoaret sacrificium? *capit parere & mœstus esse.* Marc. 14. v. 33. respondet ad hanc objectionem ingeniosè D. Bernardinus serm. 45. in quadrag. quòd timorem quidem spon-

Abul. in r.  
paralip. 17  
quæst. 21.

§. 6.  
Cur Christus in monte oliveti timuerit.

sponte Christus admiserit (dicitur enim *capit pavere*) tanquam tentationum gravissimam, ut esset tentatus per omnia; verum ad hanc tentationem superandam luctatus est ad sanguinis usque effusionem, & agoniae deliquium. cum enim timor sanguinem in corpore Christi constringeret & ad cor revocaret, noluit sponsus sanguinum passionem hanc diutius tolerare, sed adusque sanguinem contra timorem luctatus generose triumphavit, placeat audire Ecclesiastem Seraphicum: *concurrerunt ad invicem timor & amor; scilicet timor poenae, quam passurum se intelligebat, qui timor poenae fecit currere sanguinem ad cor. & amor humani generis, pro quo passurus erat similiter concurrere ad cor. Et tunc amor ita implevit cor, quod cum subito & magno impetu expulit à corde sanguinem dicens: exi foras sanguis, quia amor vincit timorem, qui volo, quod Christus moriatur pro populo suo Christiano, & cum tanto impetu tetigit cor Christi, quod omnes pori corporis aperti sunt.* Haec ad verbum Bernardinus. certò ab ea hora nullius amplius timoris in Christo signa, obviam enim processit hostibus, generose respondit Pontificibus, animosissime mortis sententiam excepit, & mortem ipsam valido cum clamore in generosi pecto-

ris sui contestationem, spiritum emittens, superavit.

Mittamus proinde timorem, dictumque nobis putemus, quod in navicula Christus Petro dixit: *noli timere; ex hoc enim homines eris capiens* Luc. 5. v. 10, quasi dicat: si non timueris ò Petre homines, ab hominibus non decipieris, non seduceris, non perverteris. ò non timuisset Petrus, certè Magistrum suum, non negasset. *Noli timere.* ex hoc enim signo piscaberis homines ad salutem & vitam, si homines non timeas! quemadmodum enim piscator non capit piscem, quem timet (sicut Tobias junior anonymum illum piscem, de quo ad Angelum exclamavit: *Domine in vadit me.* Tob 6. v. 3.) ita praedicator non convertet populum, quem timet. Exuere, Moyses jubetur calceos *Ex. 3. v. 5.* hoc est timorem ponere, ut explicat D. Ambrosius in c. 10. Luc. & Ezechiel adamantinam assumere faciem *Ezech. 3. v. 9.* ut suo respondeat muneri: sed non loquor concionatoribus, populo praedico: *noli timere; ex hoc enim eris homines capiens,* ut te timeant & homines & daemones time. Ut capias & homines, & tuæ subicias potestati daemones, hos & illos timere noli.

§. 7.  
Homines  
capit, qui  
homines  
non timet.

